



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Quae praeparatio ad extremae Vnctionis sacramentum adhibenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Infirmis autem, qui sana mente dum erant, illud petierunt, aut verisimile est, quòd petijissent; etiam si postea in amentiam inciderint, uel ratione, sermone uel uti desierint, ministrabitur item.

Si uerò dum infirmus amentia phrenesive laborat, uerimile sit, ut indecorè, aut spurcè, impure uel aliquid agat; non irreuerentia sacramento huic fiat; non vngetur, nisi alicuius complexu ita teneatur, ut firmus stabilisq; hæreat.

Cæcis, surdis, mutis, paralyticis, quamuis eo sensu uel uident, uel loquendi, uel ambulandi semper caruerint, præbebitur: peccare enim potuerunt per internas potentias, quibus ea membra respondent.

Item ei ministrari debet, qui fortè dum est in articulo mortis, sit baptizatus.

Quæ præparatio ad extremam Vnctionis sacramentum adhibenda.

Quoniam nihil sacramenti gratiam magis impedit, quam mortiferi alicuius peccati conscientia: idcirco in eo ministrando usum consuetudinemq; hanc tenebit, ut si fieri potest, infirmum non ante vnget, quam peccata confessus sit, ac præterea sacramentum Eucharistiam sumperit, at saltem sit confessus; si fortè non potuerit infirmus ob stomachi, gutturisue impedimentum sanctissimam communionem sumere.

Si quem uerò de repente morbi vis occuparit, ut neque confiteri, neque communicare potuerit; ex aliqua tamen contritionis, aut pietatis significatione conicitur, eum uelle sibi hoc sacramentum extremæ vnctionis ministrari: tunc Parochus ministrabit.

Quò diligentius item infirmum præparet, præter alia, quæ ei de vi, salutarijsque fructibus huius sacramenti ut supra dictum est, diligenter exponet, hoc etiam persuadabit, ut ea fide se vngetum præbeat, qua olim, qui ab sanctis Apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consueuerunt. in primis autem animæ salus, deinde etiam corporis ualutudo, cum conditione, si ad æternam gloriam profutura sit, expetenda est.

Tum uerò demonstrabit, illum dubita-

re non debere, quin sanctæ illæ preces à Deo exaudiantur, quibus ipse Parochus, sacerdosue, ecclesiæ, & Domini personam gerens, utitur ad huius sacramenti ministrationem.

Decebit etiam maximè eam corporis præparationem adhibere, ut partes vngetæ prius abluantur, quantum comòde fieri possit, ad sacri olei reuerentiam, præsertim quæ sordes solent magis contrahere.

Quoties hoc sacramento utendum est.

Intelliget Parochus, infirmum, quam diu in eadem ægrotatione, & in eodè mortis periculo uersatur, semel tantum esse extrema vnctione liniendum. Quòd si vnctione suscepta conualuerit, quoties postea in uitæ discrimen inciderit, toties hoc sacramentum ei adhibebitur. Item in morbis quibusdam diuturnis, puta in hydropisi, si ob mortem impendentem quis vnctus fuerit, & euaserit; deinde ex eodem morbo in alium similem casum, & periculum mortis rursus inciderit; rursus etiam ungi debet.

ORDO MINISTRANDI Sacramentum extremæ vnctionis.

Parochus uocatus ad ministrandum Sacramentum extremæ vnctionis, omnibus ijs, quæ mox supra præscripta sunt, rectè animaduertis, & præparatis; ut parochiæ suæ fideles excitet ad orandum pro infirmo, & conuocet suæ parochiæ sacerdotes alios, clericosue, quorum ministerio ut supra dictum est, in administratione utatur; campanæ signum statim dandum curabit, quòd à signo communionis distinguatur.

Mox uerò indutus superpelliceo & stola violacea, accipit uas olei sacri.

Clericus indutus superpelliceo uas feret aquæ benedictæ cum aspersorio, & libum hunc sacramentalem.

Curabit etiam crucifixi paruam imaginem afferri, si fortè ea ægroto desit. item cereum laterna inclusum: idq; per clericum, si adsit.

Tintinnabulum uerò non adhibebitur. Dum in uia est, & ad ægrotum accedit, psal-